





*Q. D. E. V.*  
AVSPICIIS,  
*SERENISSIMI PRINCIPIS REGII,*  
**FRIDERICI AVGVSTI,**  
RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI,  
DISSERTATIONEM FEVDALEM,  
**DE SERVITVTIBVS**  
FEVDO IMPOSITIS,  
ET DE  
MODIS CONSTITVENDI, ET  
ACQVIRENDI FEVDVM,  
ET IN SPECIE  
**DE PRAESCRIP TIONE**  
FEVDALI,  
*PRAESIDE*  
**DN. CASPARE HENRICO HORNIO,**  
J. V. D. ET PANDECTARVM P. P. CVRIAЕ  
PROVINC. CONSIST. ECCLES. SCABINATVS ET  
FACVLT. JVRIDICAE ITEMQUE JUDICII  
PROVINC. INFERIORIS LVSATIAE  
ASSESSORE,  
PATRONO AC PRAECEPTORE SVO VENERANDO,  
IN ACADEMIA VITEMBERGENSI,  
A. D. XXIV. MART. A. C. cl. Icc VI.  
*PVBLINE DEFENDET*  
**IO. CHRISTIAN. GOLDMANN, HERZBERG. SAX.**  

---

*VITEMBERGAE, PRELO GERDESIANO.*



DE  
**SERVITVTIBVS  
FEVDO  
IMPOSITIS.**

DE  
SERVITUTIBUS FEUDO  
IMPOSITIS.

I.

*Vassallus potest feudo servitatem acquirere.*

**S**ervitutem feudo vasallus acquirere potest inscio domino, & agnatis aut simultanee investitis. II. F. 28. §. si vassallus. II. F. 8. §. Econtrario. Quod si vero pretium pro servitute dedit, a successore feudali id restitui debet. dicto §. Si vassallus. ubi Bischius. Rittersh. P. F. L. II. c. 2. p. 319. Nec obest, quod secundum Rom. Juris placita usufructuarius fundo, in quo habet usumfructum, non possit servitutem acquirere, L. 15. §. f. de usfr. ubi Faber. in Ration. nam alia est ratio usufructuarii, alia vasalli. Ille dominium fundinon habet, sic nihil penes istum est, cui quid acquirat: tertio vero, domino sc. nullo praecedente mandato, aut non sequente ratihabitione nec jus in re acquiri potest. Dd. ad §. pen. Inst. per quas personas nob. aqu. Vasallus autem utile dominium habet fundi. Ut taceamus moribus hodiernis, qui simplicitatem magis, quam apices juris sectantur, juxta plerorumque sententiam tertio ex nostro facto jus in re, vel ad rem acquiri posse. Dn. Stryk. Sect. II. c. 5. §. 3. Multo magis vero Dominus servitutem feudo acquirere potest, invito etiam vasallo. arg. L. 15. §. f. ff. de usfr. cui liberum est illa uti, vel non.

*Vassallus non potest servitutem imponere.*

II. Cum servitutis constitutio species alienationis sit, L. fin. C. de reb. alien. non alienand. vasallus autem nihil ex feudo alienare, & domini, vel agnatorum, si scilicet feudum antiquum, aut etiam in Saxonia simultanee investitorum, si nempe ad sint, conditionem deteriorem facere non possit:

## DE SERVITUTIBUS FEUDO IMPOSITIS.

possit: palam est, non posse vasallum in præjudicium illorum servitutem, sine illorum consensu, imponere feudo,  
II. F. 8. licet, quominus cum consensu istorum id fiat, nulla ratio vetet. Schrad. P. VIII. c. 2. n. 52. Porro nec dominus potest imponere servitutem feudo, nisi vasallus consentiat. *a. L. 74. de R. J. I. F. 8. II. F. 3.* Objici solet *L. 15. §. f. ff. de usfr.* in qua habetur, proprietarium nec usufructuario consentiente posse imponere servitutem. Si hoc: E. nec dominus forte poterit, vasallo licet consentiente. Paradoxa, & miseram subtilitatem redolens videtur illa Ulpiani deciso: in cuius ratione indaganda vehementer Interpretes se torquent. Plerique & quidem maximæ autoritatis viri in *L. 105. ff. de J. R.* illam inveniri putant. Qui locus cum hoc axioma: *Quicunque non potest alienare, ille nec alienanti potest consentire, si pappeditet, subsumunt: atqui usufructarius non potest alienare.* *L. 6. ff. Comm. prædior.* ergo non potest alienanti consentire. *Donell. X. XI. a. Vasq. L. 1. de succ. §. 7. num. 4.* Sed recte sophisticam dicit hanc illationem *Jacob. Gotbofr. Anim. I. Civil. v.* cum regula *L. 105. D. d. R. J.* ab hoc tractatu alienissima sit. Namque eo pertinet, ut illi, qui ob aliquam jurisdictionem non possunt alienare rem in suo dominio constitutam, neque alii eandem alienanti consentire possint. quales sunt pupilli. Exemplum ex *L. 8. 10. ff. de aqua & aqua pluv. arcenda peti potest.* Atque adeo huc trahi nequit. Cæterum cur is, qui non est dominus, jus tamen quoddam in re habeat, jure suo cedere & domino alienanti consentire, ac sic *L. pen. C. de Pactis.* locus esse nequeat, nulla ratio excoigitari potest. Sane contrarium exemplum ex *L. 12. pr. ff. quibus mod. pignus vel hypoth. solv.* peti potest. Idem est in socio, qui partem socii alienare non potest; potest tamen consentire. Totum usumfructum derelinquere potest usufructarius, cur non & partem? *L. 64. de usfruct. L. 7. §. Adeo. ff. de pactis. VVissenb. I. XI. 7. 8.* Neque tamen melior est *Jacobi*

*Nec dominus.*

*Dubium  
removetur.*

## DE SERVITUTIBUS

Godofredi ratio, quæ & Bachor. ad Treutl. placet, qui ideo consensum usufructuarii nihil operari putat: quia servitus, ut reale, ita & perpetuum sua natura fundi onus est, quod sc. fundum in perpetuum afficit, ut proinde ejus consensus nihil operetur, qui jus perpetuarii in fundo non habet. Sed cur non operetur: si domino perpetuarii jus habenti adsit, atque impedimentum, quod domini voluntati ex jure usufructuarii obest, hujus tollatur consensu? Porro nec illa satisfaciunt nobis, quæ ab A. Fabr. ad. L. 15. atque B. Dn. Struv. Exerc. XII. tb. 21. Pinello in L. 1. C. de bon. mat. p. 2. n. 74. Castillo de Usufr. c. 35. n. 10. Busio ad d. L. 15. §. fin. Vit alii. Var. Lect. 8. num. 2. adferuntur. Causas in confliictu, occasio si nobis detur, exponemus. Quia ergo Ulpianiani illa decisio sensui communii, & analogiæ juris contrariatur plane, audacter dicimus, parum abesse illam a cavillatione, quæ saepius familiaris fuit veteribus Jure-Consultis; Ulpiano præsertim: id quod L. 4. §. 3. ff. de Cond. ob turp. caus. ni fallimur, abunde demonstrat. quod Cujacius ad L. 177. de V. S. non dissimilare potest. Plane Gotfred. d. I. Mornacins, & Brunnemannus ad d. L. V. ff. enb. d. I. Dn. Strykius q. IV. b. t. fatentur, missis illis subtilitatibus, & apicibus Juris, a quibus nostrum seculum abhorret, aliter hodie, ubi omnia pacta honesta vi, & efficacia sua pollut, judicandum esse. Quo posito, argumentum ex ita lege desumptum assertum nostrum infringere non potest, cum & alias ab usufructu non sit perpetuum ad feudum argumentum, & fortius jus, quam usufructarius, vasallus, ac perpetuum regulariter quidem, habeat in feudo.

Servitus  
a vasallo  
constituta  
non est plau-  
ne inutilis.

III. Quod si vero servitus realis a solo vasallo constituta sit, constitutio ista non plane inutilis est; sed quoad dies vitae vasalli descendientiumque ejus, ac heredum effectu suo gaudet. arg. II. Feud. 45. II. F. 8. pr. vers. quid ergo arg. L. 31. ff. de pign. Quo quidem casu non veram servitatem, sed jus quoddam servituti simile saltem constitutum volunt plerique ob L. 4. ff. de

## FEUDO IMPOSITIS.

*de servitut. Bitsch. II. f. 8. p. 257.* Verum enim vero existimamus haud invito Justinianeo jure, & veram servitutem subesse, defendere quem posse. Aut enim diserte id actum, jus hoc tamdiu tantum valere debere, usque dum vasallus ejusque descendentes supersint; aut nihil ea de re est dictum. Hocce casu non potest dici, ad tempus esse constitutam servitutem, quoniam de tempore nihil dictum: & licet tacite id actum videatur, locus tamen esset regulæ: expressa nocent, non expressa non nocent. *L. 195. de R. J.* Neque etiam existente casu devolutionis ad dominum, vel agnatum servitus vi hujus pacti taciti, vel lapsu temporis finitur: sed ideo evanescit, quia resoluto jure dantis resolvitur jus accipientis. *L. 31. ff. de pign. & hypoth.* Priori casu servitus nihilominus pro pure constituta habenda est. *L. 4. pr. ff. de servit.* ac successor in feudo servitutem contra placita vendicantem removere quoque poterit exceptione doli, vel pacti. *d. L. 4. L. 12. ff. de pign. & hypoth.* Franzk. Tit. *Communia predior. num. 28. Coras. ad L. 4. §. de servit.* Atque sic argumentum a Bitschio ex *L. 4. & L. 28. de servit. præd. urban.* (ubi quidem perpetua causa non ratione temporis accipienda est, sed id cuius aut arcedi, aut habendi causa servitus constituitur, significat) allatum nihil facit ad rem præsentem. Nec magis stringit, quod ex *L. 4. & 5. ff. de servit. præd. rus sic.* deducere vult: prædiorum scilicet magis esse, quam personarum servitutes: hocce vero casu magis personam, quam prædium servire videri. Nam in concessis id non habetur, personam hic magis, quam rem servire. Sane res servit casu nostro, licet, persona constitutive servitutem cum descendantibus hæredibus extincta, res ab isto onere liberetur.

IV. Atque id non tantum locum habet, si expressa, sed *Sive ex-  
etiam, si tacita vasalli voluntate constituatur.* Si quis enim *prefixa sive  
servitute usus sit longo tempore in fundo feudalii contra va-  
fallum ejusque descendentes, aut alios successores simul hæ-  
factum.*

## DE SERVITUTIBUS

redes jus servitutis præscriptione acquisivit. Domino tamen, & Agnatis, aut simultaneo investiture non hæredibus hoc non nocet, cum illis nullum interim jus agendi sit, & non currere sic contra illos possit præscriptio. II. F. 8. pri. L. 1. C. de Ann. except. Ex quibus etiam sequitur, successoribus feudalibus nec præscriptionem obesse, si vasallus expresso titulo servitutem constituit, & vel per centum, vel plures annos prædium alterum illa usum, quo usque feudum ad istos successores non devolutum. Schrader. P. VIII. c. 2. n. 52. Conf. Rosenth. c. 9. M. Concl. 2. n. 4. Quid sit autem hoc loco longum tempus, C. seq. §. 4. dicimus. Conf. Franzk. Exerc. V. q. 4.

*Quousque durer servitus a vasallo* revertatur, servitus illa a vasallo expresse, vel tacite sine Domini consensu constituta expirat, neque illi nocet, II. F. 8. nisi fortasse, judicio absque fraude suscepito, sententia judicis imposita fuerit. II. F. 43. Schrader. P. c. 2. n. 52. Rosenth. c. 9. membr. 1. concl. II. n. 10. Struv. Cap. XII. §. 8. Et si autem illa verba d. II. F. 8. ex qualibet causa generalissime multi accipiunt, atque nullum casum, quo feudum ad dominum reddit, excludunt, *Cujacius* ad d. text. plerique tamen hic interesse putant, utrum feudum revertatur ad dominum, ut dominum, jure dominii, & consolidationis, vel commissi; an redeat ad illum tanquam privatum, vel extraneum. Priori casu, si scil. mortuo vasallo possessore, vel ob feloniam feudum domino aperiatur, omnibus consentientibus eidem servitus imposita non nocet, Schrader. & Rosenthal. d. 1. nisi fortasse hæres esset simul defuncti possessoris, ubi factum illius præstare debet. arg. L. 14. C. de rei vind. Posteriori casu, si scil. feudum vel feudi dominium utile ad dominum veniat, tanquam ad privatum, vel extraneum &c. si esset in isto feudo, de quo vasallus forte testari potest, hæres institutus, vel emisso illud dominium utile a vasallo, vel hic domino id donasset, utique nocere volunt domino, tum propter d. L. 14. tum ob L. 149. ff. de R. J. L. 20.

§. 1.

Difflagvitur.



## FEUDO IMPOSITIS.

S. i. ff. de acquir. rer. dom. L. 67. ff. de contrah. emt. & vend. L. 3.

C. de servit. Jacobinus de S. Georgio de Feudis in verb. qui quidem.

num. 62. 63. fol. m. 109. Schrader. & Rosenthal d. l. De eo vero Quid se feu-  
disputant, quid sentiendum sit, si feudum veniat ad domi- dum Domini  
num jure protimiseos, vel retractus? Sunt, qui existimant, <sup>jure</sup> prelacionis  
hocce casu dominum teneri, ut agnoscat servitatem. Rosen- adipica-  
thal. d. l. num. 9. & qui ibidem allegantur, quoniam hic loco  
emtoris est, itaque ad eadem onera teneri volunt, ad quæ

emtor teneretur. Ferrarius ad Gu. Papam dec. 575. Alii ne-  
gant allegatio Rosenthalio d. l. Cacher. Dec. Pedem. 156. num. 6.

9. 10. Fac. de S. Georg. d. l. n. 62. Schrad. d. l. num. 52. quorum ra-  
tio hæc est, quod dominus non ex simplici emptione, & volun-  
tate vasalli feudum consequitur, sed ex tali emtione, ad quam  
jus prælationis ex jure dominii directi fluens, atque domino  
tanquam domino competens, illum vocat. Ego priorum  
sententiam probo. Nam negari non potest, dominum in  
emtoris locum transire, quem stringere factum vasalli ex  
dictis satis appareat. Et licet jure quodam peculiari emto-  
ri aliis præferatur, eadem tamen præstat, quæ alius emtor,  
& sibi imputare debet, quod non expectaverit casum, quo  
feudum pleno jure recipere potuisset, sed maluit ea lege eme-  
re, quo alius emere fuit paratus.

VI. Utrum ille, qui emit feudum a vasallo, domini con- Emtor an  
sensu, pati debeat servitutem a venditore sine domini con- pati debeat  
sensu impositam? ex facto nuper quæsum est: de qua quæ- servitu-  
tione silent Dd. quos evolvere mihi licuit. Pro negativa a ven-  
allegabatur, feendum resignatione, vel refutatione (Aussla- ditore im-  
fung der Lehen) rediisse ad dominum, & dominium di- positam?  
rectum cum utili consolidatum, Struv. c. XIII. apb. 9. n. 6. atque  
adeo sic casum hic existere, ubi constituens non amplius feu-  
dum tenet, sed beneficium ad dominum reversum, & ob  
id servitus extincta esset. II. F. 8. Itaque non existimabatur,  
postquam nova investitura feudi dominium utile in empto-  
rem

## DE SERVITUTIBUS

rem translatum, ullam illius servitutis a venditore constituta vim esse, nisi nova causa accedente. Non dissimulo, hanc sententiam pluribus Collegii cuiusdam placuisse, atque secundum eam petenti informationem fuisse responsum. Sed tamen nec diffiteor, contrariam mihi quidem arridere. Scil. negotium, quod inter alienantem, & illum, in quem alienatio facta, intercedit, nihil aliud est, quam emtio venditio, vel contractus alius, per quem dominium in alium transfertur accedente domini consensu. Ut itaque venditor ex hocce contractu obligatus est emtori ad omnia, ad quæ alius venditor, vel quicunque alienator obstrictus, e.g. ad præstandam evictionem; ita etiam emtor, vel ille, in quem feudum est alienatum, omnia præstare debet, quæ alius, qui titulo tali rem acquisivit; nec aliis intervertere potest jus in re constitutum ab antecessore, quo usque illud ab hocce in sui præjudicium constitui potuit. Namque dominium tale transferatur ad eum, qui accipit, quale fuit apud eum, qui tradit: & si servus fuit fundus, cum servitute transit: paucis, cum omni causa, quæ esset futura, si apud transferentem mansisset, præterquam si aliquid nominatim constitutum. I. 20. §. 1. ff. de acquir. rer. dom. L. 67. ff. de contrah. emt. L. 3. C. de servitut. Ergo consequens est, emtorem non posse effugere servitutem ab illo constitutam, ex cujus persona res ad ipsum pervenit. L. 149. ff. de R. J. Ex quibus causis Doctorés etiam concludunt, servitutem, ab emphyteuta constitutam, durare, si fundus consentiente domino venditus. Brunn. ad L. 3. C. de servitut. num. 10. Neque obest, quod subtili ratione obverti potest, quod novus possessor non ab alienatore, sed a domino dominium utile refutatum a priori vasallo accepit: nam licet hoc verum sit, & emtor proximam causam habeat ratione investituræ a domino, primam tamen habet a venditore, qui si non vendidisset, emtori feudum, & domino ob hanc causam resignasset dominium utile, hic non potuisset vasalum

Removentur dubia.

## FEUDO IMPOSITIS.

lum novum investire. Porro nec Feudista II.F.8. mihi refragatur. Nam licet vasallus ipse feudum amplius non teneat, licet feudum etiam ad dominum reversum; redditus tamen hic non talis fuit, ut ex eo feudum in perpetuum manere apud illum potuerit, & sic servitus illa Seniori damnum adferre, de quo casu textus loquitur; sed ea lege & conditio ne conjunctus fuit, ut feudum iterum illi concedatur, qui in pristini vasalli locum Domini consensu substitutus, & vicem illius subit, & loco ejus feudum tenet. Quo posito nullum praejudicium Domino metuendum, quamdiu emtor hicce, ut novus Vasallus, feudum possidet. Quod autem tali etiam casu servitus plane extinguatur, Feudista non tradit, qui tantum de praejudicio avertendo a Domino sollicitus est. Neque etiam verba: *ut vasallo quidem, donec feudum tenet, possit obesse*: captanda sunt. Nam verba ista in oppositione ad dominum, ad quem feudum pleno jure, & nulla lege novæ investitionis transit, prolata, & male infertur *ex eo*, quod vasallo servitus obsit, donec feudum teneat: ergo non obest illi, qui ab eo causam habet. *Quin potius, ut ex dictis apparet, utique sic inferendum est*: ergo etiam illi obest, qui a vasallo habet causam. Nec enim hic propter negotia, quæ inter dominum, & alienatorem, & inter dominum, & se ipsum circa resignationem, & investituram gesta tertio, qui ab antecessore habet jus quæsitum, intervertere potest. Interim tamen id ego non nego, servitutem istam domino fraudi non esse: atque ita, si postea a novo vasallo hocce, vel illius descenditibus, feudum ad ipsum redeat, illam invitus pati non cogitur; nisi aliud quid accesserit, quod diversum svadeat. *Quod si per modum subinfeudationis vasallus servitutem constitutus; quo effectu gaudeat illud, ex iis apparebit, quæ infra de subinfeudatione Cap. XIX. dicenda.*

VII. Quæ vero de domino hactenus disputavimus, facile applicari poterunt ad agnatum, vel simultaneæ investi-

B tum

*Eadem di-  
cenda quo-  
ad agnatos*

## DE SERVITUTIBUS

*vel simulacrum, quibus eodem modo servitus imposita a vasallo praejurare invexit.* dicio est, vel non est, ac domino. Vid. Rosenthal. & Schrader. d. l.

*In quantum Pariter observandum, easdem decisiones obtinere, si vasallo remitti posse remiserit servitutem feudo debitam, vel ut Dd. loqui possit a vasallo servitus.* lent, affranchimenta hominibus suis fecerit. Jacob. de S. Georg. Ob servitu- d. num. 63. Denique notandum, ob talem servitutem constituta- tem confi- tutam, vel remissam, feloniam non committi, nec feudum amittere vasallum, Rittershus. P. II. c. 2. §. 11.

*lona non committi-* VIII. Quæ de servitute reali antea dicta, etiam de personali, ut usufructu, habent locum, ita nempe, ut ususfru- tur.

*De Servitu- te personali.* Etus sine domini, & agnatorum, vel simultanee investitorum consensu constitutus ratione constituentis non diuidius du-

ret, quam quoque ipse, & ejus descendentes, aut alii suc-cessores feudales, qui simul hæredes, supersint: Rosenthal.

Cap. IX. Concl. X. Borch. de Feud. C. VIII. num. 64. quod eo facilius admitti poterit, quia usumfructum ex tempore, & ad tempus constitui, & Jus Rom. permittit, & non perpetuum onus rei est, sed cum persona concessionarii extinguitur.

§. 3. J. de usufr. L. Et puto. 16. §. 2. ff. Fam. ercise. L. 4. ff. de usufr.

L. An ususfructus. 56. ff. de usufr. leg. Coras. ad L. 4. de servit. n. 18.

L. 9. §. 1. ff. quem. usufr. car. Neque etiam hic vasallus domi- nium suum utile alienat, sed tantummodo exercitium ejus,

seu jus utendi fruendi in alium transfert. Rittershus. Part. Feud. L. II. c. 2. q. 11. Rosenth. d. l. Concl. 10. Quo loco omnia re- peti, & applicari possunt, quæ §. V. VI. circa reales servitutes monita, & disceptata.

Quod si vero alia bona vasallus non habet, unde servitia commode præstari possint; tantum ex fructibus illi relinquendum est, quantum ad servitia præ-

stanta opus, ne jus domini deterius fiat, Dn. Stru. S. J. F. C. 12. §. 7.

Kobl. de Servit. Feud. p. 1. c. 28. Carpz. P. II. C. XXV. d. 6. quamvis non iniquum esse putemus, si dicamus, etiam eo casu, ubi alia bona habet vasallus, tantum ab usufructuario fructum relinquendum illi esse, quantum ad servitia præstanta

re-

## FEUDO IMPOSITIS.

requiritur: cum servitia feudi intuitu præstentur, & usufructuarius alias onera rei ferre debeat, *L. 7. §. 2. L. 27. §. 3. ff. de usuf. L. 7. ff. de publ. & vectigal. L. 2. C. de Ann. & Tribut. Carpz. p. 3. C. 16. def. f.* Cæterum non obstat huic nostræ sententiæ, quod servitutis constitutio, uti §. II. jam dictum, sit species alienationis. *L. f. C. de Reb. alien. non alienand.* nulla vero alienatio a solo vasallo fieri possit. *II. F. 24. inf.* Nam ea solum alienatio vasallo illicita, quæ successoribus feudalibus præjudicio est, *II. F. 52.* quod de hac nostra, uti & de subinfeudatione dici nequit.

IX. In feudo a filiosimilias acquisito patri non competere usumfructum, plerique Doctorum tradunt. Ratones hujus asserti varias post alios adducit *Vultej. I. F. 4. n. 8.* *quas vero plerasque recte rejicit Bachov. ad Treutl. V. I. D. 27. Th. 2. Conf. Finck. D. V. c. 20.* Illa tamen momenti alicuius esse videtur, quod feendum ob servitia sagata, vel togata detur regulariter, atque adeo ad peculium castrense, vel quasi castrense referendum sit; in quorum neutro patri usumfructum competere, notum est, *§. 1. I. per quas person. cuig. acquir. §. f. I. de milit. Testam.* Quod si autem casum supponas, ubi ad peculium paganum feendum filiosimilias datum referendum, de qua re dictum §. 32. *Cap. V.* utique patri non denegandus erit ususfructus. Omnia enim feudo jure publico censeri, ut non nemo vult, ubi nil valet patria potestas, nondum mihi persuadere potui. Atque hinc feudi franci usumfructum patri a filiosimilias relinquendum esse puto: nisi fortasse ea lege datum, ne pater habeat usumfructum, quod utique fieri potest. *arg. Nov. n. 7. Diff. hic Dn. Struv. Cap. V. §. 15. num. 4. Conf. Dn. Stryk. de S. A. I. D. II. c. 2. §. fin.* Re in feudum data & ejus parte a domino alteri in usumfructum antea concessa, usufructu finito re ista tota vasallus liberrime utitur fruitur, cum totius rei, cum qua usufructus consolidatus est, dominium utile habeat; *arg. Casus singu- laris.*

DE MODIS CONSTITUENDI FEUDUM &c.

L. 18. §. 1. de pign. act. Schrad. p. 2. P. IX. sect. 2. num. 5. Rosenth. c. 10.  
concl. 44. num. 3.

X. Quatenus vero ipsae servitutes in feudum dari possint, supra dictum Cap. VIII. §. 21. De actionibus vero, quibus illæ vindicari possunt, agetur infra Cap. ult.

DE  
**MODIS CONSTITUENDI, ET**  
**ACQUIRENDI FEUDUM,**  
ET IN SPECIE  
DE  
**PRÆSCRIPTIONE FEUDALI.**

Modi ac-  
quirendi &  
constituendi  
feudum.

Circa modos acquirendi & constituendi feudum mire variant Dd. ita ut vix duos invenias, qui omni ex parte hac in re consentiant. Causa hujus rei hæc esse videatur, quod vocabula constitutionis & acquisitionis promiscue usurpentur, I. F. 25. II. F. 1. II. F. 33. quodve Jure Civili non constitutere modo accipiatur pro promissione alicujus juris realis, uti in §. fin. I. de servit. §. 1. I. de usufr. modo pro ipsa actuali introductione, vel acquisitione illius juris realis. L. II. §. 1. de Publ. in rem act. L. 10. ff. si servit. vnde. & L. 25. ff. de pign. act. Planissima & Juri Feudali maxime conveniens videtur sententia celeberrimi viri Dn. Struvii S. J. F. Cap. VII. qui eo casu, quando jus feudi de novo introducendum, seu qualitas feudalis rei allodiali noviter imponenda, non aliter differre putat, constitutionem ab acquisitione, quam quod illa se referat ad dominum constituentem, hæc ad vasallum acquirentem:

### PRÆSCRIPTIONE FEUDALI.

tem: cæterum utramque uno actu perfici, licet constitutio natura prior videatur. Feudum enim in relatione consistit inter dominum & vasallum, dominum & rem, rem & vasallum. Ex quo ergo relata, quatenus talia, simul sunt, non potest aliter fieri, quam ut eo ipso momento, quo feudum per constitutionem esse incipit, etiam simul acquiratur a vasallo, & vice versa. Constituitur ergo & acquiritur feudum novum sola investitura. I. F. 25. II. F. 1. & præscriptione, quæ loco est investituræ. II. F. 33. Constitutionem vero istam, & acquisitionem præcedunt ejus quasi præparatoria, quæ in promissionibus vel inter vivos, vel mortis causa consistunt, de quibus agit Struv. c. VIII, t. b. 30. quæque ab aliis ad modos constituendi referuntur. Circa quod illud saltem notamus adhuc, posse & tacita conventione feudi constitutionem promitti: e. g. si dominus consentiat in alienationem feudi. Hinc si alienans renunciat feudi dominio utili, (læsset die Lehn auff) eo momento illud cum dominio directo quidem consolidatur, & fides fit allodialis: potest tamen dominus ex illa tacita conventione actione personali ad hæredes transeunte quoque conveniri, ut iterum investiat emptorem, & sic feudum noviter constituat. Struv. VII. 3. 2. ib. Dn. Lynck. Eyb. Exerc. Feud. I. c. 4. §. 6. Ad quam sententiam in Collegio Juridico Wittembergensi Menf. Febr. MDCXCI. responsum esse, memini. Vid. Num. III. in App. n. 16. Inter has vero promissiones, & ipsam constitutionem intercedit contractus feudalis, de quo agendum erit Cap. sequenti §. n. Hoc est, quod tribus gradibus negotium feudale absolvit tradit Dn. Schilt. ad Struv. Cap. VIII. §. 3. Vid. Cap. seq. Cæterum si quæstio est de feudi jam constituti transmissione per successionem: acquisitionem a constitutione differre, palam est, nec ullo modo successio ad modos constituendi referri potest. Struv. d. l. Eyben. c. 4. §. 6.

Modi con-  
stituendi  
duo sunt.

Constitutio-  
nem præce-  
dit promis-  
cio.

Contractus  
Feudalis.

## DE MODIS CONSTITUENDI

*Modus ac-  
quirendis  
per præ-  
scriptio-  
nem.*

II. Contingit vero constitutio, & acquisitio tacita, vel expressa utriusque partis voluntate. Tacita, per præscriptionem. Scil. feudum præscriptione constitui, & acquiri, vel ex realloiali feudalii fieri potest, tum si vasallus dominium utile in re alicujus, II. F. 33. tum si dominus dominium directum in re alterius usucipiat. Rosenth. c. 6. c. 81. Schulz. c. 9. num. 25. Conf. Diff. Dn. Ziegleri de Praescr. feudi. Quod si itaque quis rem quandam alienam per triginta annos ut feudalem animo, & opinione vasalli possederit, & servitia præstiterit, vel semel exhibuerit tantum arg. §. Si quis. II. Feud. 26. Finckelth. D. 8. cap. 16. (Dissentit Rittersh. l. 18. q. 4. ob II. F. 13. ibi: recipiente. sed frustra: cum unius positio non sit alterius exclusio,) licet non actu præstiterit illi, cuius res antea erat pleno jure, tanquam domino; vel aliud quid egerit, ex quo dominus intelligete potuit, possessorem pro vasallo se gerere, illeque non contradixerit, eo ipso feudum constituitur, & possessor dominium utile sibi acquirit: ita ut non tantum exceptio, sed etiam actio utilis illi detur adversus dominum, & tertium. II. F. 26. §. Si quis. ubi Bitsch. p. 393.

*Qualis pos-  
sessio hic re-  
quiratur.*

III. Non itaque quævis possessio hic prodest, sed qualificata, & formis, ut Dd. nostri loquuntur, ad hoc negotium, qua quis scil. animo, & opinione vasalli, intentione dominium utile habendi rem detinet. Atque hinc, qui rem ut propriam absolute, animo dominium plenum habendi possidet, vel ut pignus apud se habet, feudum præscriptione non acquirit. Sed & justa possessio esse debet, & bona fide conjuncta, sive Jus Civile respiciamus, (nam & illo, ubi non de nuda exceptione, sed dominio acquirendo agitur, bona fides requiritur in tricennali. L. 8. §. 1. C. de prescript. 30. ann. Dn. Rhet. I. F. 2. p. 154.) sive Canonicum, C. f. X. de Praescr. sive ipsum Jus Feudale, II. F. 87. & quidem, cum Jus Canonicum in foro quoad materiam præscriptionis receptum hic ante oculos haberi debeat, tam ab initio, quam in progressu. c. 5. 17. ult. X. de prescr. Struv. Cap. VIII.

v. 12.

PRÆSCRIPTIONE FEUDALI.

§. 12. n. 3. Resenth. C. VI. concl. 77. Atque ita hodie nec exceptio illi, qui bona fide perpetua caret, acquiri potest, quod contra Baldum, Alvarottum, & Iserniam recte docet Ludwell. c. VIII. p. 173. Evidem dubium videri posset, quo modo hic unquam bona fides adesse queat, cum absurdum sit, illum bona fide rem ut feudum possidere, qui nullam novit investituram; si investitura vero adest, non opus fit præscriptione. Sed tamen casus dantur, ut nihil vetat, quo minus id contingat. *Quomodo præscribens in b. f. esse possit.*  
Finge, possessorem a falso procuratore esse investitum, quem tamen putavit esse verum, justo & probabili errore inductus. Pone, possessorem ex probabilibus rationibus credere, maiores fuisse de feudo investitos. Fac, esse de fundo cum pertinentiis investitum: justa vero ex ratione illum credere, hunc fundum esse e pertinentiis, qui tamen non est. His omnibus casibus, uti & aliis bona fide, possessio inchoari & impleri potest. Interim illud notandum, in hac tricennali præscriptione bonam fidem allegatam tamen, Coler. ad c. ult. X. de prescr. num. 33. Schneid. ad princ. I. de usuc. num. 26. præsumi, ita ut alteri malam fidem objicenti hanc probare incumbat. arg. II. F. 33. insin. Carpz. P. II. C. 3. D. 7. n. 12. seqq. L. I. R. 84. Rbet. I. F. 28. p. 481. Continuatam debere esse possessionem, vocabulum Per. §. 4. II. F. 26. indicat: & si maxime abesset, tamen ex iuris communis principiis assertum probaretur. pr. I. de usuc. II. F. 1. Prodest tamen hic successori defuncti possessio, modo uterque in bona fide sit, & successor investituram renovaverit: quod dum omittit, pro vasallo se gerere non videatur. II. F. 4. II. F. 24. pr. Ant. Disp. V. tb. 3. lit. f. Si vero omiserit petere investituram, dominusque illam non urgeat, ex sua persona præscriptionem inchoare potest: nec omissione investituræ in mala fide constituit, quia nihilominus credere potest vasillus, rem majoribus esse per investituram datam, dominumque tacendo remittere feloniam ab ipso commissam.

IV. Jure

## DE MODIS CONSTITUENDI FEUDUM &c.

Tempus  
præscri-  
ptionis feu-  
dalis.

In re Ec-  
clesie.

IV. Jure Feudali omne tempus præscriptionis est XXX. annorum, §. 4. II. F. 26. neque etiam Longobardis alia quam XXX. annorum nota fuit. Vid. T. I. Legum Grinwaldi de XXX. ann. Usuc. & Aſtulphi T. IX. de Prescript. idque longum dicitur II. F. 87. Incipit casu antea Th. III. dicto ab eo momento, quo ille, qui præscribit, quid gesit, ex quo intelligere potuit alter, illum rem ut feudalem, vel ut vasallum possidere. Bitsch. II. F. 26. §. 2. p. 400. Dd. varie dissentunt, ut videre est apud Bitsch. §. 4. II. F. 26. Jure Saxonico quoque tantum XXX. annos hic requiri, vult Schrad. de Feud. V. 4. 18. atque Art. 29. L. 1. Land. R. faltē ad allodialia, non vero feudalia pertinere tradit. Sed accedo Carpzovio qui annum & diem addi debere docet, P. II. C. 4. d. 16. L. 1. R. 84. num. 23. Conf. Constit. 50. P. II. Cæterum si res Ecclesiæ sit, in qua quis dominium utile acquirit præscriptione, XL. annorum lapsum ob Nov. CXI. & CXXXI. juxta communem sententiam requiri puto. Nam licet dominium utile tantum in aliud transeat, & directum maneat penes ecclesiā: reapse tamen alienatio quedam fit rei ecclesiasticæ, quæ omnis vero, si per præscriptionem fieri debet, quadraginta annos requirit. Vulteo dissentienti I. F. 9. num. 8. respondet Dr. Lyncker. in Anal. ad Struv. Cap. VIII. §. 12. n. 3. Conf. Rosenth. c. 6. c. 78. num. 7. Neque objici potest L. 2. Aſtulphi tit. 9. quæ eum sensum habere videtur, Ecclesiā contra alios, & hos contra Ecclesiā XXX. annorum præscriptione res, quæ posidentur, acquirere posse: licet & ipsa ad præscriptionem locorum venerabilium inter se XL. annorum cursum exigat. Nam illa lex allodialis Longobardica in Germania nunquam recepta fuit: atque cum Jura Feudalia, quibus Germania utitur, hac de re nihil disponant, ex jure allodiali decisio petenda erit. Quod si forte Prælatus absque solennitate Canonica rem alienavit, non inchoatur cursus, nisi post mortem alienatoris. c. 10. caus. 16. quæst. 3. imo, ut volunt, non nisi a tempore, ubi successor scivit illicitam alienationem.

## PRÆSCRIPTIONE FEUDALI.

nationem. *Jo. Bapt. Costa de fact. scientia C. i. Decis. 78.* Deducendum etiam semper est tempus sedis vacantis. c. 4. & 5. X.  
de prescript. Insuper Ecclesiæ restitutio in integrum adversus præscriptionem completam competit. *Clementina unica*.  
de restitut. in int. c. i. X. de prescript. ibi: semper. ut adeo quoties de præscriptione contra Ecclesiam agitur, XLIV. annorum numerum, deductis deducendis, adesse oporteat. Ex quo liquet, quam difficile sit præscriptione se tueri aduersus Ecclesiam. Latius hac de re actum in *Respons. n. V.* adjecto infra, ubi & ea quæstio excussa, an lapsus temporis quinquennii, vel decennii ex *L. fin.* si major factus alienationem. Ecclesiæ objici possit. *Conf. Dn. Bergeri Resol. tit. de rebus eorum p. 584.* & tit. de usucap. p. 726. De regalibus quatenus a subditis, vel privatis possunt acquiri, dictum est *Cap. VIII. §. 3. 18.* In Regalibus atque simul ostensum, per modum feudalis concessionis id fieri posse, & acquisitionis. Hæc concessio & acquisitione feudalis non tantummodo expresse fieri potest, contra illum, qui majestate, vel territoriali superioritate gaudet, sed etiam tacite per præscriptionem, non quidem XXX. annorum, sed temporis immemorialis, quippe quod vim privilegii habet. *Cap. 36. §. Præterea, X. de V. S. Recessus Imperii de ann. 1548. §. Wenn auch ein ausgezogener. & §. Wo aber innerhalb Menschen Gedenken.* *Modestin. Pistoris Conf. 4. num. 32. & 26. Heigius P. I. L. 16. num. 47. Carpzov. P. II. Conf. 3. def. 24. & 25.* Sed intelligenda hæc sunt de præscriptione contra Superioriem: nam contra privatum, si regalia jam formata, uti DD. loquuntur, præscribantur, ordinarium tempus sufficit. *Rosenthal. c. 5. concl. 17. num. 3.*

V. Sicuti in Præscriptione tricennali, & ea quidem, quæ dominium adjicit, nullus titulus Jure civili requiritur. *L. 8. §. 1. C. de prescr. 30. vel 40. ann.* licet præsumptum adesse velint. *Mev. p. 6. D. 122. Carpz. p. 2. C. 3. d. 6.* ita in Jure Feudali id se habet, ubi ipsa patientia domini tituli vicem gerit. *II. F. 33. pr.*

C

At-

*Titulus.*

DE MODIS CONSTITUENDI FEUDUM &c.

Atque sic nec celebrationem contractus feudalis, nec investituram, nec preparatorium aliquod negotium probare debet possessor, qui usuccepit, sed haec omnia presumuntur facta esse. Schilter. Inst. jur. feud. N. o. I. F. 28. Vid. Bitsch. d. l. p. 402. Interim tamen rem sine vitio furti, vel violentiae natum esse debuit vasallus: cum, si hoc factum, in bona fide non esse possit. Quod si autem vitium tale factio tertii sine facto bona fide possidentis rei illatum sit, illud tricennariæ huic præscriptioni non obesse arbitramur. L. 7. C. de presc. XXX. vel XL. ann. Struv. S. J. F. Cap. XLIII. §. 19.

Præscriptio  
feudi con-  
tra vasal-  
lum.

VI. Fieri potest, ut etiam feudum jam constitutum ad vasallum Titium pertinens per præscriptionem acquiratur a Sempronio, si nempe hic illius feudi possessionem bona fide natum per XXX. annos possiderit. Quo casu domini juri nihil decedit quidem ratione dominii directi: sed tamen in hoc illius conditio mutatur, quod alium vasallum accipit; pristinus autem vasallus dominium suum utile amittit. Rosenth. c. VI. concl. 84. Struv. c. XV. §. 3. num. 10. Schilter. Inst. Jur. Feud. c. 5. §. 17. Atque adeo in effectu nexus feudalis pristinus est finitus, & novus constitutus.

Si quis de re  
aliena va-  
sallum inve-  
stiat.

VII. Si quis de re aliena tertium investit, & ipse, & investitus rem istam contra dominum verum usucapere possunt, ita ut concedens, qui rem per investitum possidet, dominium directum, & investitus dominium utile nanciscatur: quo casu tantum tempus longum ordinarium Juris Civilis XX. vel X. annorum sufficere puto cum Dn. Stryk. g. XVI. b. Cap. cum respectu tertii illius allodialis res sit, nec feudum respectu illius tertii constituatur, nec feudo alicui jam antea constituto quid decedat, nec concedens rem tanquam feudalem, sed allodialem pleno Jure acquirat, licet particulam domini alii concederit. Neque obstat huic sententia, quod in omni præscriptione feudali XXX. annorum tempus requiri supra fuerit dictum, quodve in textu II. F. 87. tempus lon-

gum

PRÆSCRIPTIONE FEUDALI.

gum pro longissimo accipiatur. Nam primò casu a nobis proposito nulla adest, prout dictum, præscriptio feudalis: deinde quod ad textum II. F. 87. attinet, notum est, Longobardos, & in allodialibus nullam aliam agnovisse, quam tricenariam præscriptionem. Cum vero Jus Longobardicum allodiale usu non sit receptum: textus ille assertum nostrum non evertit.

VIII. Vicissim potest quis dominium directum nancisci in re aliqua, & intuitu ejus vasallum, et si probare non possit investituram a se, vel etiam ab antecessoribus vasallo factam: si modo doceat quasi possessionem per XXX. annos exactorum, & præstitorum, vel saltim receptorum servitorum, vel similiū actuum, ex quibus cognosci possit, dominum rei suæ allodialis alioquin & liberæ pro vasallo segesfisse, & habitum fuisse, remque istam, cuius intuitu id factum, pro re feudali, vel tanquam feudum ab altero agnovisse, Rosenthal. c. VI. concl. 81. Borcholt. c. 7. n. 9. Duaren. c. VIII. n. 2. Dn. Schilt. Inst. Jur. Feud. c. 5. §. 15. quo quidem casu ea, quæ §§. præcedentibus dicta, hoc applicanda quoque erunt. Porro potest, ut ratione feudi jam constituti contra dominum tertius præscriptione acquirat dominium directum, si scil. domino priori sciente vasillus alium dominum agnoscat, & hicce hunc pro vasallo habeat, dominique pristini posses-sio intervertatur, Struv. c. XV. §. 3. num. ii. quo quidem casu vasallo nihil decedit, intuitu dominii utilis, sed reapse feudalis nexus antiquis tollitur, & novus constituitur; sicque opus lapsu temporis feudalis præscriptionis. Feudum vero præscriptione constitutum proprium est. Nam modus consti-tuendi & acquirendi est extra ipsam rem, nec ad naturalia feudi pertinet: sicque constitutio præsumpta non magis reddit feudum improprium, ac usucatio dominium improprium reddit rei usucaptæ. Dissidenti Bocero & VVurmsero satisfacit. Dn. Struv. c. VIII. §. 12.

Potest quis  
per pre-  
scriptionem  
dominium  
directum  
adversus de-  
minum ple-  
num nan-  
cisci.

Præscri-  
picio domini  
directi  
a tertio.

Feudum  
præscri-  
pitione ac-  
quisitum  
proprium.

DE MODIS CONSTITUENDI FEUDUM &c.

Consolida-  
tio per pre-  
scriptionem  
a parte va-  
salli.

IX. Vasallus dominium directum præscriptione acquiri-  
rere potest, ita ut ex feudo fiat allodium, si intra XXX. an-  
nos dominus servitia, quibus opus, non exegerit, vel vasallus  
exacta non præstiterit, & vasallus rem interim non ut feuda-  
lem, sed ut allodialem possederit. Quod ultimum apprime  
necessarium est: sola enim omissione exactio, si maxime in-  
diguit dominus, & præstationis servitorum non sufficit.  
Neque etiam remissa servitia semel, in futurum remissa cen-  
sentur, nec statim præsumendum, vasallum non venientem  
depositisse animum vasalliticum, & denegare omnem fide-  
litatem. *Rhet. I. F. 21. p. 443.* Necesse itaque est, ut vasallus  
verbis, vel factis (nam sola animi destinatione causam pos-  
sessionis sibi mutare non potest. *L. 5. C. de Acquir. vel retin. poss.  
L. 2. C. de Præscr. 30. vel 40. annor.*) declareret, se non velle esse  
vasallum, nec rem possidere ut vasallum, siveque intervertat  
possessionem domini quoad directum dominium, domi-  
niusque non contradicat. *arg. II. F. 26. 33. 87. L. 35. ff. de R. J.  
Carpz. lib. I. Resp. 80. Rosenthal. C. VI. Concl. 82. num. 8.* Atque adeo  
vasallus quamdiu ut vasallus possidet, cum possessio ejus ad  
præscribendum dominium directum non sit formis, & qua-  
lificata, dominium illud directum præscribere non potest;  
quamvis per C. annos servitorum exactio, aut præstatio fue-  
rit omessa. *Rosenthal. d. loco n. 1. Finckelth. Disp. 8. C. 10.* Licet  
si per XXX. annos possessionem domini ratione exactio  
servitorum interverterit, dominusque non contradixerit,  
libertatem a servitio præstandis acquirat præscriptione, &  
feudum fiat Francum. *Vid. Disserr. nostra de feudo Franco Th. 24.  
Rittershus. lib. I. Part. Feud. C. 18. Q. 12.* Cæterum interversio  
illa possessionis domini bona fide fieri debet, e.g. si vasallus  
documenta inveniat, ex quibus colligi posset, rem esse allodia-  
lem, si falsus procurator, quem tamen justas obrationes ve-  
rum putavit, remisit fidem; si haeres existimans, rem fuisse de-  
functi pleno jure propriam, & eam ut talen apprehendat &c.

X. Si

## PRÆSCRIPTIONE FEUDALI

X. Similiter Dominus directus si ipsam rem jure pleni dominii, tacente, & non contradicente vasallo per XXX. annos continuos bona fide possederit (nam possessio domini directi non sufficit, & informis ad hanc præscriptionem est.) dominium utile contra vasallum usuccepit. *Mynsinger.* *A parte deo-  
mini.*  
*4. 28. Finckelth. 8. 8.* Diximus contra vasallum: nam agnatis aut simultanei investitis hæc præscriptio non obest, *arg.*  
*L. 1. §. 1. C. de Annali Except.* *Finckelth. 8. 9.* nisi postquam successio ad eos devoluta, & ipsi per XXX. annos tacuerint. *Finckelth. d. 1.* Cæterum quomodo & dominus, & vasallus possidere dicantur, optime exponit *Dn. Struv. S. J. F. Cap. XI. §. 1.*  
Vid. *supra Cap. III. §. 21.*

XI. Si vasallus feudum sine consensu domini alienat in *Quid juris,* tertium, ipso jure dominium utile ad dominium reddit, & *Si feudum alienatum sine consen-* cum dominio directo consolidatur. *II. Feud. 44. 55. Struv. c. 15.* *S. m. seq.* *C. 4. n. 10. Rosenthal.*  
*§. n. 6. Quod si tamen dominus passus sit, possessorum istam suu domini.* rem tanquam feudalem bona fide possidere per XXX. annos, eo ipso feudum novum est constitutum, atque postea dominus dominium utile repeteret haud potest. *II. Feud. 9.* *§. Porro. II. Feud. 26. §. Si quis. Schrader. D. s. C. 4. n. 10. Rosenthal.*  
*C. IX. membro. 2. concl. 97.* Quo casu directum dominium utique salvum manet domino, quippe quod vasallus, quamdiu posidet ut vasallus, præscriptione auferre domino non potest. Vid. *supra diætra. §. m. seq.* Cæterum si vasallus feudum, ceu rem allodialem, sine domini consensu alienaverit, novusque possessor tanquam allodialem sive bona, sive mala fide posideat, nullam putamus obstatre domino præscriptionem, atque ita accipiendas esse *Constitutiones II. F. 40.* & *II. F. 55.* Namque Imperatores hoc casu noluere ullam præscriptionem obesse, quia domino per talenm prohibitam alienationem jus exigendi fidelitatem, & servitia, spesque consolidationis plane intervertitur. *Rittershus. lib. 1. Part. c. 18.* *Q. 13. seq. Rosenth. d. loco n. 39.* qui tamen excipit temporis im-

## DE MODIS CONSTITUENDI FEUDUM &c.

memorialis præscriptionem. Dissentunt DD. varie, uti videre est apud *Ludv. c. 8. in fine. Strv. Cap. XIII. §. 10. n. 4. Rittersb. d. loco ubi Q. 17.* ratione fructuum & evictionis præstationis differentiam quandam inter bonæ & malæ fidei possessorem recte admittit. Conf. *Dn. Schilt. ad J. All. Cap. XXVI. §. 9. & J. J. F. c. V. §. 18.*

*Quo tempore Servitus per modum feudi acquiratur.*

XII. Posse etiam servitutem per modum feudi constitui & acquiri, dictum est supra *C. VII. §. 21.* atque sic hæc acquisitione, tacite quoque, per præscriptionem fieri potest. Postquam autem ab interpretibus, erronee licet, ratione realium servitutum distinctio introducta, quod scilicet continua, sive urbanæ longo tempore acquiri possint, discontinua vero, sive rusticæ non nisi immemoriali præscriptione, *Gail. II. O. 66. Myns. C. IV. obs. 53.* quæri potest quanto lapsu temporis opus, si quis titulo feudali in re aliena jus tale, quod alias vocamus servitutem, e. c. jus pascendi, acquirere velit, atque an illi distinctioni, quam praxis pasim recepit, locus sit. Evidem cum hic de duplice jure agatur, de constituenda servitute nempe, atque introducenda qualitate feudali; illa vero ad Jus allodiale, hæc ad Jus Feudale pertineat, ad utrumque etiam jus respiciendum erit. Cum itaque Jure Feudali qualitas feudalis non nisi XXX. annis acquiratur, consequens est, longum tempus non sufficere in urbana seu continua, sed requiri longissimum. Rursus quoniam ad rusticam seu discontinuam acquirendam, necessarium tempus est, ex hypothesi ista, immemoriale, sequitur nec longissimum hic sufficere. Conf. *Dn. Stryk. in Us. Mod. tit. de servitut. §. 9.* Cæterum si quæstio de acquisitione servitutis, quam feudo acquirit vasillus, adversus tertium per modum allodii, absque respectu feudistico, distinctionem istam observandam esse, nemo dubitabit, qui in praxi receptam istam esse credit, & multo magis, ubi speciali lege est confirmata, ut *Jure Bavario tit. 26. art. 4. in fin.* In nostra Saxonica vero illa distinctio est nullius usus, atque omnes

PRÆSCRIPTIONE FEUDALI.

omnes servitutes XXXI. annis & die acquiruntur. *Carpz. P. 2.  
C. 4. D. 8. Dn. Schilter. Exerc. 18. tb. 7. De Jure Hamburgensi vid.  
Dn. Stryk. d. I. §. 7.*

XIII. Præter has præscriptions in rebus feudalibus  
dantur, de quibus alio loco agendum erit. Quorsum pertinet  
præscriptio illa annalis circa jus protimiseos, & retractus, II.F.  
26. vers. *Titius.* lapsus temporis anni scil. & diei, quod destinata  
est ad petendam renovationem investituræ. II.F. 24. *Jur.  
Saxonic. Feud. c. 22.* præscriptio XXX. annorum juris re-  
vocandi post mortem alienatoris feudi d. II. F. 26.

præscriptio feloniae per XXX. annos

*Strauß. c. XV. §. 12. n. 8. &c.*



NOBI-

*NOBILISSIMO CLARISSIMO QVE*  
**DN. IO. CHRISTIANO**  
**GOLDMANNO,**  
S. D.  
**I. B. VVERNHER, D.**

**U**NUS jam & alter annus elapsus est, ex quo ingenii tui dotes propius nosse coepi, vi-  
taque tuæ innocentiam ac morum proibi-  
tatem, antehac sola opinione ac aliorum sermonibus  
mihi commendatam, penitus perspexi. Non ergo  
potui, quin consuetudinem tuam ultro amplecterer,  
omnemque operam ac studium ad utilitatem tuam  
conferrem, teque sponte jam euntem ita incitarem,  
ut proris jam gradibus ad metam laudis plenissimam  
procurras, nervosque ingenii amplius acriusque  
contendas. Neque vero exiguum industriae tuæ fructum  
consequeris, dum decus ex bonis literis comparatum  
in lucem profers, patescetque disputandi aditu co-  
natus tuos, ac in studio Juris, sigillatim beneficiarii,  
progressiones omnibus publice approbas. Tantum  
te hortor, ut in hac sententia, voluntateque perfis-  
tas, & expectationem dudum a te excitatam susti-  
neas, certoque confidas, fore, ut, confecto studio  
rum curriculo, præmia virtute ac laboribus tuis di-  
gna nanciscare.

Köttenberg, Diss.) 1706(1)



Vol 18







1786 7  
10<sup>o</sup> 25

Q. D. B. V.  
AVSPICIIS,  
*SERENISSIMI PRINCIPIS REGII,*  
**FRIDERICI AVGVSTI,**  
RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI,  
DISSERTATIONEM FEVDALEM,  
**DE SERVITVTIBVS**  
**FEVDO IMPOSITIS,**  
ET DE  
**MODIS CONSTITVENDI, ET**  
**ACQVIRENDI FEVDVM,**  
ET IN SPECIE  
**DE PRAESCRIP TIONE**  
**FEVDALI,**  
*PRAESIDE*  
**DN. CASPARE HENRICO HORNIO,**  
J. V. D. ET PANDECTARVM P. P. CVRIAЕ  
PROVINC. CONSIST. ECCLES. SCABINATVS ET  
FACVLT. JVRIDICAE ITEMQUE JUDICII  
PROVINC. INFERIORIS LVSATIAE  
ASSESSORE,  
PATRONO AC PRAECEPTORE SVO VENERANDO,  
IN ACADEMIA VITEMBERGENSI,  
A. D. XXIV. MART. A. C. c<sup>is</sup> Icc VI.  
PVBLICE DEFENDET  
**IO. CHRISTIAN. GOLDMANN, HERZBERG. SAX.**  

---

**VITEMBERGAE, PRELO GERDESIANO.**